

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Sebastiani Castellionis Sacrorvm Dialogorum Libri  
Qvatvor, Qvos Postremo Ipse Recognovit: Argvmenta  
Singvlis Dialogis Praeposvit, Et Sententias Svbiecit ...**

**Châteillon, Sébastien**

**Francofurti, 1761**

**VD18 12886300**

Michaeas.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18303**

idacium. Impiorum plena sunt omnia: piorum  
exiguus est numerus. Saepe magis uni credendum,  
quam mille: nam paucorum est sapientia. O ca-  
cum genus hominum, quando tandem hæc videbis?  
aut quæ tandem lux penetrabit istos oculos? Nun-  
quamne, nisi sero sapietis? Utinam adsit aliquis,  
igneo Spiritu igneaque oratione Elias, qui charita-  
tis ignem de cælo devocet, quo nostrarum precum  
sacrificia exardescant, ut deinceps solus Jova ex-  
tollatur.

MICHAEAS. I Reg. 22.

ARGUMENTVM.

Achabo Israelitarum Regi consulunt falsi  
vates, ut Ramotha Galaaditicam urbem bello  
adoriatur: fore enim, ut ea potiatur. At  
Michæas vates contrarium prædicit, eamque  
ob causam conjicitur in vincula.

*Achabus Israelitarum, Josaphatus Judæorum  
Rex, Vates, Nuncius, Sedecias,  
Michæas.*

**A**dsunt hic Vates, Josaphate, plus minus qua-  
dringenti, quos ad explorandam Dei volun-  
tatem censuisti accersendos. Jo. Video: super-  
est, ut eos interroges. A. Quid mihi autores  
estis, Vates? censetisne, ut bello Ramotha ado-  
riar, an ab incæpto desistam? V. Nos vero cen-  
semus, ut adoriaris: nam victoriam tibi annuit

Domini

Dominus. *I.* a) Num quis præterea hic est Jovæ vates, ex quo sciscitemur? *A.* Est item unus, sed b) quem male odi: quoniam nihil unquam mihi nisi sinistrum vaticinatur. Is est Michæas, filius Jemæ. *I.* c) Non decet Regem ita loqui: sed jube eum acciri. *A.* Tu siste huc nobis prope Michæam. *N.* Ita faciam. *S.* Videsne hæc Achabe, cornua ferréa, quæ ego fero? Hoc tu modo quasi cornu petes, & fundes Syros ad interneccionem: ita tibi per me futurum pollicetur Deus. *V.* Ita prorsus fiet. Aggredere sane Ramotha, feliciter pugnabis, eamque Dei beneficio capies. *N.* Cæteri quidem vates omnes, Michæa, Regi uno ore felicem successum peomittunt. Itaque d) censeo, ut tu quoque ei bene omineris, quemadmodum ipsi. *M.* e) At ego Deum immortalem juro, me ea solum dicturum, quæ mihi divinitus inspirata fuerint. *A.* Michæa, quæ est tua sententia? arma ne in Ramotha inferimus, annon? *M.* f) Quid ni? jam tibi victoriam annuit Jova. *A.* Quousque tandem mihi illudes? Te etiam atque etiam obtestor per nomen Jovæ,

I 3

- a) Piis (qualis erat Josaphatus) suspecti sunt falsi vates.  
 b) Impii quia veritatem oderunt, veredicos quoque oderunt.  
 c) Modesta reprehensio.  
 d) Plerique multitudinem sequendam censent.  
 e) Veraces veritate, non hominum multitudine morantur.  
 f) Ironiz.

ne mihi quicquam nisi verum dicas. *M.* g) Num  
verum audies. Vidi omnes Ifraelitas balantes in  
montibus, sicut oves sine pastore solent. Atque  
Jova, non habent isti dominos, inquit, redeant  
suam quisque domum, cum bona pace. *A.* h)  
Dixi ne ego tibi, eum nihil mihi nisi infaustum  
prædicturum? *M.* Igitur audi certissimum ora-  
culum. Vidi Jovam in solio suo sedentem omni  
cœlesti exercitu dextra lævaque stipatum, atque  
ita dicentem: Ecquis mihi in errorem inducet  
Achabum, quo Ramotha ibi casurus, invadat.  
Cumque alius aliud diceret, processit quidam spi-  
ritus, qui stans ante eum: Ego, inquit, facturum  
me recipio. Cui Jova: Quonam modo? Tum  
ille. Aspirabo falsa omnibus ejus vatibus, quæ  
dicant: Probe, inquit Jova, succedet: aggredere  
negotium. Nimirum ex his liquet, i) omnes  
istos tuos vates esse falso spiritu afflatos, & Deum  
tibi male cogitare. *S.* k) Accipe colaphum pro  
isto tuo mendacio. Nam qua ratione divinum  
numen, cujus tu instinctu te loqui simulas, a me  
emigravit, ut te docuerit? *M.* l) Tum scies,  
cum tu trepidus te in intima penetralia penitus

g) Pii moventur obtestatione, quamvis mali sint, qui  
obtestantur.

h) Mali verum sibi dici jubent: postea vero offen-  
duntur.

i) Qui veris vatibus obtemperare nolunt, ii falsis digni  
sunt.

k) Falsis vatibus nihil est audacius.

l) Falsi doctores cum iis penas dabunt, quos deceper-  
unt.

abdes. *A.* Corripe Michæam, & eum deduc ad Amonem prætorem urbanum, & Joam regium filium: & jube meo jussu <sup>m)</sup> in carcerem concludi, atque ibi pane atro & aqua parce ac duriter pasci, <sup>n)</sup> donec salvus redeam. *M.* <sup>o)</sup> Si quidem salvus redibis, nihil causæ est, quo minus dicar mentitus oraculum: atque equidem hoc clarissima voce omnibus inculcatum volo.

## SENTENTIA.

*Falsi vates (quorum ingens est numerus) dicere solent, quæ placeant hominibus, & imprimis assentari Principibus. Veri vates (qui pauci esse solent) assentari nesciunt, & improbis semper dura dicunt. Et quoniam improbi in hac vita dominari solent, fit plerumque, ut veritatis præmium vincula sint & neces. Nam obsequium amicos, veritas odium parit. O mundi potentes, utinam hæc in animos vestros demittatis!*

## SVNAMITIS. 2 Reg. 4.

## ARGUMENTVM.

Elisæus ab hospita sua Sunamitide oratus, ejus filium revocat in vitam.

*Elisæus, Gihezi, Sunamitis.*

**E**cce Sunamitidem illam, hospitam nostram, Gihezi: curre ei obviam, rogaturus, utrum valeat ipsa, & vir, & puer ejus. *G.* Faciam.

I 4

Salve

<sup>m)</sup> Hæc dari solent a malis principibus præmia veritatis.

<sup>n)</sup> Sibi polliceatur mali, quæ penes unum Deum sunt.

<sup>o)</sup> Veritatis inconcussa constantia.